

A scurior res est, lucem adhibere oportet, omniaque genera percurrenta; eo tamen obseruato, ut vniuersum genus, à quo auspicati fuerimus, executiamus, deinde ad reliqua transcamus, & quæ in singulo genere sunt, eodem ordine recensemus; ne aliquot enumeratis, & multis omissis, cogamur postea quam alia interposuerimus genera, ad priora illa redire, quæ non satis fuerunt excussa. Ac ne longius abeas, quum ab effectibus morborum notas forte capere coepimus veluti ab actionibus læsis, executendum est vniuersum genus actionum, quod nobis lucem aliquam adferre potest; postea percurrentæ sunt qualitates; postrem excrementa, & alia opera quæ in corpore peraguntur: atque ita ab omnibus effectibus signa petenda: Transendum deinde vel ad ea, quæ sunt secundum essentiam, aut ad causas, & pariter deponenda ex eo genere indicia, quæ ad rem propositam facere posunt. Qua quidem in re temere vagari multos videmus, vt pote qui nullo seruato ordine nunc in vnum genus, nunc in aliud mutua quadam confusione prosiliant: notandaque interim sunt quæ propria in singulo genere rei iudicia, existunt, quæ communia, inseparabilia, quæ suapte natura vel materiæ, vel loci, aut alterius rei ratione suas notas præbent. Ex ipsis enim certa cognitio nascitur, precipitusque qualem vim singula obtineant. Ac quoniam signa omnia (vt diximus) à rei essentia, causis, effectibus, & similitudine ducuntur; contigit ut à temperamento, ætate, consuetudine, viuentia conditione, anni tempore, regione, cœli statu, sexu, habitu corporis, ab adstantibus, remedij, medico, & (vt semel dicam) ab externis, internisque rebus omnibus, quæ quomodo cunque causæ sunt eorum, de quibus agimus, quæque in nostro corpore obeuntur, indicia sumamus: Contingit & illud quoque, ut de partium robore, imbecillitate, dignitate, de colore, mollitie, duritie, sonis, odoribus, asperitate, lenitate, crassitie, tenuitate, & ceteris corporis qualitatibus agamus. Item de pulsibus, ira, tristitia, metu, gaudio, de vigilijs, somno, insomnijs, motu animi & corporis, mentis constantia, & perturbatione, imaginatione, cogitatione, memoria, & respiratione: Præterea de appetentia, attractione, retentione, coctione, expulsione, assimilatione, nutritione, concupiscentia, venere, alijsque vniuersis animi, & corporis functionibus pertractandum. Quintam de excrementorum substantia, quantitate, qualitatibus; & reliquis omnibus mentionem faciamus. Nec non ab excretionis modo, tempore, loco, ordine, qualitate, notas capimus. Sic etiam à morbi natura, generibus, differentijs, temporibus, partium conformatione, magnitudine, numero, coniunctione, signa sumimus; expendimusque quid simile, aut dissimile his, de quibus agimus, cum alijs sit. enim omnia, quum vel secundum essentiam rebus insint, quas explicamus, vel tanquam effectus illas sequantur, aut præcedant, spectenturque ut causæ, aut similitudinem doceant, sua præbent indicia singulis rebus, communia, immediata, remota, inseparabilia, ac (vt breuiter dicam) omnia genera, & differentiæ signorum ab illis nostris vberrimis fontibus emanant, nec vñquam deesse poterit in illis quod necessarium sit ad id significandum, quod quærimus. Nec illud quidem prætereundum est, quum aliquid prædicere volumus, caput quoddam, siue scopum esse querendum, ad quem vniuersa indicia, prædicendique ratio referatur. Nam omnia, quæ silutem aut mortem ostendunt hoc uno nomine id significant, quod maximum vel minorem recessum à naturali statu monstrant. Habent & eundem scopum, quæ breuitatem, & longitudinem morbi pronunciant. Siquidem in certo quodam genere quanto minores extiterint morbi, ut in vulneribus apparet, tanto breuiores eos, fore præfigunt; in alio verò magnitudo celeritatem morbis adjicit; quod in lethalibus apparet, qui quanto grauiores fuerint, tanto celerius perimunt. Erit & in modo solutionis, qualitate, ordine, & in alijs, quæ ad prædictionem pertinere diximus, aliquid commune, quod ingeniosi facile inuenient, ac eo quidem proposito facilimè prædictio instituetur, quæ alioqui à nullo certo principio auspicatur. Quomodo enim (quæso) ab essentia, causis, effectibus, & similitudine morborum prædicimus salutem, aut mortem venturam, eo contempto, cuius interuentu prædicti fontes suas notas præbent? At eo posito statim animus quiescit, vt pote qui sentiat se à certis principijs ad reliqua duci. Dicit ergo medicus, si forte de morte, aut salute præfigire instituerit, proposito eo scopo, quo omnia signa ad id necessaria diriguntur ad hunc modum. Quoniam mors contingit, quum tantus est à naturali statu recessus, ut nullo pacto ad mediocritatem redigi possit, mortem protendunt omnia inditia, quoniam hunc maximum excessum ostendunt. Eodem pacto si breuitatem, aut longitudinem præfigire velit, eodem proposito scopo, suam proferet sententiam. Quoniam (inquam) breues sunt morbi, qui parum distrahunt hominem à naturali sua conditione; sit autem huiusmodi, qui hominem infestat, ut propria illius essentia, causæ, effectus, & similitudines ostendunt; prænuntio cito venturam salutem. Idem obseruetur in alijs, quæ præfigire studemus. Esto autem prædictio dubia, si par sit vis contrariorum signorum, alioqui certa, ut in hac re imperitos medicos vincamus, qui dubia omnia pollicentur. Ac vt ea, quæ in hac parte certis præceptis sumus complexi, audioribus uno exemplo innotescant, proponatur differendum, an febris, quæ hominem infestet, sit tertiana exquisita, vel non. Consulet itaq; medicus imprimis essentiā ipsius febris, nempe calorē, qui si acris, mordaxq; sit, statimq; feriat tactum, tanquam ex communi indicio in coniecturam veniet ex-

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

G 2 quisitz